



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vtî amans anima contempletur beatissima[m] Mariam Dei matrem
angelicis spiritibus, sanctisq[ue] cunctis in cælis prælatam, cælestemq[ue]
curiam sua beatitudine illustrantem. Cap. XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

audimibus tuis, quam choris angelicis excellentissime superferris, ita ut quæ ante pulchra & chara, pulchrior & charior fueras, nunc in delicijs cœlestibus non solum omnibus sanctis & angelis sed & ipsi filio & sponso tuo verè & mirabiliter pulcherrima & charissima videaris. *Quam pulchra igitur & quam decora es charissima in delicijs, quasi aurora valde rutilans, tota formosa & suavis es, pulchra ut luna, electa ut sol, electa ex milibus, quæ dilecto, pulcherrimo, electo ex milibus placuisti.* Cant. 6

Vti amans anima contempletur beatissimam Mariam Dei matrem angelicis spiritibus sanctisque cunctis in cœlis prælatam, cœlestemque curiam sua beatitudine illustrantem.

CAPVT. XII.

O Puella deliciosa, virgo speciosa, mater gloriosa, quæ à proximo tibi clarissimo sole iusticiæ iure tam miram accipis claritatem, ipsa delectabiliter in te radios clarissimæ diuinitatis suæ tam copiosissime refundente, ut inter omnes, immò præ omnibus non tantum filijs hominum, sed etiam filijs Dei, id est Angelis te omnibus spectabilem, mirabilem, delectabilem præbuerit, & suæ simillimam fecerit claritati, clarissima, charissima, dulcissima, doctissima, mitissima, misericordissima, lætissima, lucidissima, cum qua creuit misericordia ab infantia, & de vtero pariter est egressa, ostende mihi desiderabilem & delicatissimam faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Cant. 1

Te enim ô clarissima cum in speculo aperietur oculorum meorum cæcitas: te enim audiéro ô cantrix suauissima, aurium mearum surditas dirumpetur: si ad me peruenierit tui dulcissimi odoris fragrantia, cuius est inæstimabilis odor nimis, quia te circûdant, in te spirant flores rosarum, & lilia conuallium, quæ ab omnibus filijs supernæ Hierusalem beatissima prædicaris, dicentibus: *Vnguentum effusum nomen tuum: nec immeritò, quia in te filij tui omnis suauitas tam copiosè ab ipso immediate distillat.* Si ergo ad me peruenierit odor tuus, currâ & ego post te, & tecum post spolum odoriferum, donec ab illo tecum in cellam cœlestium aromatum merear introduci. Cant. 4

Videam igitur ô formosissima faciem tuam, solis summi faciei solam simillimam, ducem errantium, lucem cæcorum, audiam vocem tuam singulari sonoritate suauissimam. *Vox enim tua dulcis, ut ipse sponsus testatur, quia diffusa est gratia in labijs & mel & lac sub lingua tua: unde eloquij tui dulcedine tantum ipse dulcissimus filius & sponsus tuus afficitur, ut nihil velit vel possit tuæ dulcedini denegare: quia fauus distillans labia tua, & sicut vitta occinea, nimirum verbis ignitæ charitatis incomparabiliter ardentia.* Videam ergo speciosam faciem tuam, eloquium ardentissimum audiam, ut particeps fieri merear speciositatis tuæ pariter & ardoris. Cant. 1 Psal. 44 Cant. 4 Cant. 4 2. Cor. 3

O quam beati sunt, qui vident te, qui te reuelata facie vident quotidie, qui organum dulcissimæ vocis tuæ audiunt sine defectu.

Vti amans anima, cœlestis Hierusalem beatitudinem, ordinemque sanctorum contempletur, illorumque felicitati congratuletur.

CAPVT. XIII